

ibidem quiescentis, ad altare ipsius est remissio tertiæ partis omnium peccatorum concessa a Pio papa II, et indulgentia plenaria.

Item in omnibus festivitibus B. Mariæ sunt ibi mille anni indulgentiæ et plenaria peccatorum remissio.

Item a festo Assumptionis Virginis usque ad ejus Nativitatem sunt ibi duodecim millia annorum indulgentiæ, ultra prædictas quotidianas indulgentias.

Nota tamen quod quarta ecclesia ab antiquo semper fuit S. Laurentii; sed tempore Alexandri VII, S. Maria tempore jubilæi fuit assignata pro quarta numero; et aliæ tres non visitabantur ex debito, sed ex devotione tantummodo, ad parcendum laboribus peregrinorum et Romanorum.

Quinta ecclesia est ad Sanctum Laurentium extra muros, in qua sunt omni die 7048 anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum: item sex mille anni indulgentiæ. In hac ecclesia sunt stationes Dominica Septuagesimæ, Dominica tertiæ Quadragesimæ, feria quarta infra octavam Paschæ, et feria quinta post Pentecosten.

Item in festivitibus sanctorum Stephani et Laurentii, quorum corpora ibidem requiescunt; et per octavas eorum, et in singulis stationibus ejusdem ecclesiæ sunt centum anni indulgentiæ et remissio tertiæ partis omnium peccatorum concessi ab antiquo. Sed Callistus III concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictam ecclesiam devote visitantibus in singulis festivitibus et stationibus ejusdem ecclesiæ plenariam remissionem omnium peccatorum.

Item, si quis intraverit dictam ecclesiam per annum omni quarta feria, liberat unam animam a purgatorio.

Item intrans per januam australem ejusdem templi, de una Cruce ad aliam, contritus, et confessus, habet remissionem omnium peccatorum.

Sexta ecclesia est ad Sanctos Fabianum et Sebastianum extra muros, in qua sunt omni die 6048 anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis peccatorum. Et in die S. Sebastiani et in omnibus Dominicis mensis Maii indulgentia plenaria.

Item in eadem ecclesia sunt quotidie mille anni indulgentiæ dati a Pelagio papa.

Item in eadem ecclesia ad Catacumbas, ibi prope majus altare sunt tot et tantæ indulgentiæ quot et quantæ sunt in ecclesiis apostolorum Petri et Pauli, quia ibi prius corpora eorum jacuerunt abscondita longo tempore in puteo quodam, super quem est unum altare. Item Silvester, Gregorius, Honorius, Pelagius, Nicolaus, et Joannes summi Pontifices, concesserunt quilibet eorum mille annos indulgentiæ quocumque tempore anni devote visitantibus dictam ecclesiam.

Item ibidem in cœmeterio Callisti est plenaria remissio omnium peccatorum, secundum quosdam.

In hac ecclesia subtus terram est cœmeterium Callisti I, quod quisque ingrediens contritus et confessus, indulgentiam plena-

riam consequetur ob merita 7400 martyrum et 46 summorum Pontificum ibi sepulcorum, quorum fuerunt 18 martyres.

Septima ecclesia est ad Sanctam Crucem in Hierusalem, in qua sunt omni die 6940 anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

In hac ecclesia sunt stationes Dominica quarta Quadragesimæ, 6 feria Majoris Hebdomadæ, Dominica secunda Adventus. In diebus Inventionis et Exaltationis sanctæ crucis, et in eorum octavis, et in omnibus supradictis diebus est indulgentia plenaria.

Item in omni die Dominica sunt in eadem ecclesia tercenti anni indulgentiæ et totidem quadragenæ, ac etiam remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

Item in Dedicatione ejusdem, quæ celebratur in vigilia S. Benedicti abbatis, in mense Martio, est ibi plenaria remissio omnium peccatorum.

Similiter in Inventione tituli sanctæ crucis, qui ibi in sublimi muro inventus est, tempore Alexandri VI, vigesima sexta Januarii, et etiam quotidie in cappella Sanctæ Helenæ, in quam mulieres non intrant nisi semel in anno, est indulgentia plenaria; item per omnes dies anni est indulgentia plenaria. Aliquas harum septem ecclesiarum, sicuti etiam stationum indulgentias suspectas esse credit cum Passerino quæst. 12, num. 135. P. Minderer part. I, Confer. 4, num. 271, et part. II, Conf. 4, num. 214; et hoc, vel ob millenarios annos; quia persæpe præter plenarias partiales quædam addantur, et non plenariæ, contra rationem indulgentiæ plenariæ et contra disciplinam Ecclesiæ.

(25. Hinc ad uberiores notitiam juvat adducere motivum unde sumpsit initium visitatio dictarum septem Romanarum ecclesiarum. Cum enim Pontifices in Oriente ad fidei puritatem custodiendam quatuor patriarchatus instituissent, videlicet primum Alexandrinum, secundum Antiochenum, tertium Hierosolymitanum, quartum Constantinopolitanum, quatuor ecclesias Romæ pro his quatuor patriarchis designarunt: nempe pro primo ecclesiam D. Pauli, pro secundo S. Mariæ Majoris, pro tertio S. Laurentii, pro quarto D. Petri; ut si forte patriarchæ, conciliorum, vel aliorum negotiorum causa Romam ventitarent, sua in ecclesia decenter degerent. Ecclesia vero S. Joannis Lateranensis addicta erat supremo Urbis et orbis Patriarchæ, videlicet Vicario Christi Domini, quia quatenus Romanus episcopus est, suam ibi cathedralem habet; unde ad mille annos ibidem Pontifices conversati sunt. Summa itaque a Romanis veneratione habitæ fuerunt hujusmodi quinque patriarchales ecclesiæ, ipsæque continenter magna pietate ac frequentia invisabantur. Quia vero in earum visitatione opus erat per duas alias celeberrimas transire, scilicet per ecclesiam SS. Fabiani, et Sebastiani, ubi est cœmeterium innumerorum martyrum, et per ecclesiam S. Crucis, ubi valde magnum Crucis Domini frustum sanete colitur; idcirco septem istæ ecclesiæ una omnes visi-

tari consueverunt. Hinc, ut ad tantum pietatis opus fideles excitarentur, supradictæ aliæque innumerabiles indulgentiæ fuerunt a Romanis Pontificibus dictis ecclesiis concessæ. Sic ex Sanctarello, cap. 16 de Jubilæo, refert sapientissimus P. Viva de Jubilæo, q. 4, art. 2, num. 2 et 3. Advertendum tamen est quod stationum ordo pro dictis ecclesiis nunc observandus est, ut in Missali novo, et assignatus supra art. 4, sub num. 17; Vide ibi per tot. dict. num. 17.

(26. Visitantes duodecim vicibus pro quolibet anno per ordinarium specificatis, septem altaria ab eodem ordinario designata in aliqua ecclesia habente indultum apostolicum (quod solet concedi ad septennium), lucrantur pro qualibet vice id egerint omnes et singulas indulgentias quas lucrarentur si personaliter visitarent septem altaria sita et ad id designata in basilica principis apostolorum de Urbe. Sic patet ex formula brevis seu indulti a Sede Apostolica soliti concedi et pro sua benignitate jam concessi pro visitantibus septem altaria sita et designata in hac nostra ecclesia Sancti Bernardini civitatis Alexandriæ, prout explicat breve seu indultum apostolicum in Archivio hujus conventus asservatum.

(27. Ex concessione Bonifacii VIII, confirmata a Benedicto XII, uti legitur in quodam marmore posito in ecclesia S. Joannis Lateranensis Romæ, consequuntur octoginta annos indulgentiæ omnes recitantes sequentem Orationem:

*Domine Jesu Christe, Pater dulcissime, rogo te ut amore illius gaudii quod dilecta Mater tua habuit quando apparuisti ei in illa sacratissima nocte Paschæ, et per illud gaudium quando te vidit glorificatum Divinitatis claritate, quatenus me illumines donis Spiritus sancti, ut tuam voluntatem adimplere valeam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis, et regnas, etc.*

(28. Qui vere pœnitentes et confessi matutinali officio festi Corporis Christi intersunt aut illud recitant, lucrantur 100 dies indulgentiæ; item 100 pro primis et 100 pro secundis vespis; item 100 qui celebrant missam aut eidem assistunt. Qui vero primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, ac completorii officii intersunt, pro qualibet ipsarum horarum 40 dies. Illi autem qui per octavam illius festi, matutinalibus, vespertinis, missæ, ac prædictarum horarum officiis intersunt, 100 dies singulis ipsius octavæ diebus, ex concessione Urbani IV, constit. incip. *Transiturus*, qui anno 1262 festum SS. Corporis Christi celebrandum instituit. Martinus vero V, anno 1429, constit. incip. *Ineffabile*, supradictas indulgentias ampliavit, id est 200 dies pro missa, 200 pro matutino, 100 pro utriusque vespis festi, et pro quolibet hora privata 50 dies. Infra octavam autem, pro singulis matutinis, et missis, et vespis 100 dies, ac pro horis privatis 40 dies. Tandem Eugenius IV, anno 1433, constit. incip. *Excellentissimum*, relatas Martini V indulgentias duplicavit, tam pro festo quam pro octava; in summa omnia inclusis,

dictæ indulgentiæ pro matutino, missa, et utrisque vespis festi, sunt 400 dies pro unaquaque actione; pro qualibet horarum privatarum 160 dies; et in quibuslibet octavæ diebus, pro singulis matutinis, vespis, et missis, 200 dies, ac pro reliquis horis 80 dies; et pro interessentibus processionibus 200. Vide Compendium Privilegiorum Fratrum Minorum, et aliorum verb. *Indulgentiæ quoad sæculares*, § septimo, post num. 2, vers. *Istæ Indulgentiæ*, Bullarium Cherubini et Wadingum suis respective locis et annis.

Easdemmet indulgentias lucrantur interessentes officii et missis festi et totius octavæ Conceptionis immaculatæ B. M. V., et respective recitantes ac celebrantes, ex concessione Sixti IV, anno 1476, constit. incip. *Cum præexcelsa*.

Item easdem indulgentias lucrantur dicentes 5 *Pater* et *Ave*, ac simul assistentes officio et missæ festi SS. Nominis Jesu, et respective recitantes ac celebrantes, ex concessione Clementis VII, anno 1530, constit. incip. *Salvatoris*.

Item easdem indulgentias lucrantur interessentes officio et missæ festi Transfigurationis D. N. J. C., et respective recitantes et celebrantes, ex concessione Callisti III, anno 1457.

Assistentes matutino, missæ, et vespis Visitationis B. M. V., lucrantur 100 dies indulgent. : cæteris autem horis 40, et sic respective recitantes et celebrantes, ex concessione Bonifacii IX, an. 1390.

(29. Quoad indulgentias attendenda est constitutio Benedicti XIII incip. *Salvatoris*, edita 28 Aprilis 1725, in qua conceditur Christifidelibus omnibus facultas applicandi indulgentias anno jubilæi durante suspensas, per modum suffragii animabus defunctorum.

(30. Alia ad rem, vide verb. *Jubilæum*.

(31. Indulgentiæ per visum a Domino acceptæ non admittuntur sub fide referentis: Benedict. XIV, tom. I, constit. 141, incip. *Sollicitudini*, § 40. (32. Indulgentia centum dierum conceditur recitantibus genibus flexis singulis feriis sextis quinquies orationem Dominicam et toties salutationem Angelicam, ad sonum campanæ hora tertia post meridiem, in memoriam passionis et agonie Domini nostri Jesu Christi. (33. Idem const. 9, incip. *Ad Passionis*, ubi injungit, et in virtute S. obedientiæ mandat ob id parochis, rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis superioribus, ut campanam uniuscujusque ecclesiæ hujusmodi pulsare faciant tali hora.

(34. Indulgentiæ concessæ visitantibus ecclesias Urbis per octavam sanctorum apostolorum Petri et Pauli ab eodem Pontifice, constit. 83, incip. *Admirabilis*, referuntur in tom. II, ad verb. *Cappella*: vide ibi. (35. Indulgentia plenaria conceditur pro ecclesia patriarchali Maronitarum quater in anno, et pro aliis cathedralibus ejusdem nationis bis in anno: idem, constit. 79, incip. *Nuper*, § 11.

(36. Indulgentiarum communicatio inter confratres B. M. V. de monte Carmelo et



Tertiarios Capuceinorum S. Francisci revocatur: idem, const. 94, incip. *Romanus Pontifex*.

(37. Indulgentia centum dierum concedi potest a cardinali majori poenitentiario omnibus Christifidelibus qui se poenitentiali virga tangendos, pie reverenterque in tribus Urbis basilicis ipsi submiserint: idem, constit. 95, incip. *Pastor bonus*.

(38. Indulgentiæ visitantibus ecclesiam concessæ acquiri possunt absque eo quod sanctissimum Sacramentum expositum sit: idem, tom. II, constit. 5, incip. *Accepimus in Civitate*.

(39. Indulgentia plenaria in articulo mortis applicari conceditur auctoritate apostolica ab episcopis et ordinariis inferioribus, etiam per alios subdelegatos: idem, constitut. 34, incip. *Pia Mater*.

(40. Ad eam acquirendam injungitur specialiter ægris moribundis acceptatio mortis in spiritu resignationis: idem, ibid. Vide tom. V, verb. *Moribundus*, sub n. 38.

(41. Indulgentia plenaria conceditur per omnes ecclesiasticæ ditionis dioceses iis qui confessi et sacra communione refecti, sanctissimum Sacramentum expositum visitaverint diebus bacchanalibus: idem, const. 45, incip. *Inter cætera*.

(42. Præfatam indulgentiam ad omnes ecclesias catholici orbis pro triduo expositionis SS. Sacramenti, in hebdomada sive Septuagesimæ, sive Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, vel in singulis prædictis hebdomadis, vel in sola feria V infra hebdomadam Sexagesimæ, nuperrime extendit Clemens XIII, ut patet ex sequenti declaratione sac. congr. Indulgentiar., videlicet:

« Cum alias san. memoriæ Bened. XIV, ad frequentes episcoporum pontificiæ ditionis quereias, gravioribus abusibus qui bacchanalium tempore irrepserant, opportunoque remedio occurrere concupierit, perspexeritque in aliquibus ecclesiis salutari consilio institutam esse Sanctissimi Eucharistiæ sacramenti expositionem per tres dies, sive in hebdomada Septuagesimæ, sive in altera Sexagesimæ aut Quinquagesimæ ante diem Cinerum, ad hoc præcipue ne fideles tempore tentationis a via Domini recederent, et in prædictis ecclesiis pie orantes divina impetrarent auxilia; universis utriusque sexus Christifidelibus confessis, et sacra communione refectis qui easdem ecclesias in quibus venerabilis expositio, sive in uno, sive in singulis prædictis triduis fieret, devote visitarent, indulgentiam plenariam misericorditer concessit et indulxit. Hinc SS. D. N. Clemens divina providentia papa XIII, sedulo recogitans, præfatam augustissimi Sacramenti expositionem plurimum hisce diebus profuisse ac deinceps fore profuturam, eandem plenariam indulgentiam ad quascunque catholici orbis ecclesias ubicunque locorum existentes, ubi venerabilis expositio, sive in hebdomada Septuagesimæ, sive Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, sive in singulis prædictis hebdomadis per tres dies, atque etiam, si tantummodo in feria quinta infra

hebdomadam Sexagesimæ peragatur, ex uberi pontificiæ charitatis fonte benignissime extendit.

« Datum Romæ ex secretaria sac. congregat. Indulgentiarum die 23 Julii 1765. »

(43. Docentes rudes homines publice vel privatim orationis mentalis regulam et modum; itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere poenitentes ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos et totidem quadragenas indulgentiæ. (44. Item si assidue eo convenerint, semel in mense, vere poenitentes et sacra communione refecti, orantesque pro more in indulgentiis consueto, indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur; quam pariter ita obtinent ii qui toto mense, unico saltem horæ quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo vere poenitentes et confessi, Eucharistiam sumpserint et orent pro concordia, etc. Concedente hæc omnia Pontifice in bulla incip. *Quemadmodum*, Bull. tom. II, num. 23. Vide verb. *Oratio*, n. 32.

(45. Indulgentias in forma jubilæi concessas abrogavit Clemens VIII aliique Pontifices; quare si forte agatur de aliqua ejusdem tenoris indulgentia, videndum erit, num post ea decreta concessa fuerit, ut ex Tractatu de Indulgentiis P. Theodori, part. II, c. 4, § 2.

(46. Clemens XII in suo brevi dato die 14 Augusti 1736, indulgentiam plenariam die ad libitum quotannis eligenda, concessit iis qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverint psal. *De profundis*, vel semel orationem Dominicam et salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem*, in suffragium defunctorum; dummodo, ea die confessi et communione refecti, preces suas effuderint pro consueto more. Singulis vero diebus toties quoties eandem orationem ad signum campanæ recitantes, centum indulgentiæ dies consequuntur: Institut. Eccles. 61, § 5, Bened. XIV.

(47. Operæ pretium est hic addere etiam indulgentias concessas per decretum S. C. pie, et devote, atque ex corde recitantibus actus virtutum theologiarum fidei, spei, et charitatis, ut constat ex sequenti notificatione.

« Animadvertens SS. D. N. Benedictus Papa XIV quam utiles, quinimo necessarii sint ad æternam salutem theologiarum virtutum actus, fidei videlicet, spei, et charitatis; ut omnes utriusque sexus Christifideles ad illorum exercitium excitaret, audito voto sac. congregationis indulgentiis sacrisque reliquiis præpositæ, indulgentias proisdem actibus a san. mem. Benedicto XIII die 15 Januarii anni 1728 concessas, benigne confirmavit, plenariam nimirum cum facultate eam fidelium defunctorum animabus applicandi, semel in mense lucrandam ab iis qui quotidie per mensem præfatos actus pie, devote, et ex corde peregerint, die nempe ab unoquoque eligenda, in qua vere poenitentes, confessi, ac sacra communione refecti, pro Christianorum principum con-

cordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, ut decet, oraverint; nec non aliam similiter plenariam in mortis articulo. Ut autem commissas sibi oves ad frequentiore hujusmodi actuum usum alliceret, Sanctitas Sua, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, cum eadem applicationis facultate, quæ juxta ejusdem sui prædecessoris concessionem semel tantum in die consequi poterat, ad quamlibet antedictorum actuum piam, etc. ut supra, recitationem elementem extendit.

« Declaravit insuper Sanctitas Sua præfatas omnes indulgentias addictas minime esse certis determinatisque verbis, proptereaque unumquemque uti posse in recitatione dictorum actuum qualibet formula, dummodo in ea singularum virtutum theologiarum specialia motiva exprimentur.

« Datum die 28 Januarii anno 1756.

« F. J. CARD. PORTOCARRERO, PRÆF.

« A. E. Vicecomes, sac. cong.

« Indulg. Secr. »

(48. Addamus rescriptum ex audientia Sanctissimi, habita die 18 Januarii 1778.

« Sanctissimus dominus noster Pius divina providentia PP. VI, referente me infrascripto sacre congregationis de Propaganda Fide secretario, ad magis augenda inter fideles defunctorum suffragia, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus in quavis imperii Sinici, tum etiam Tunkini, Siami, Cocincinae, Cambodiæ, et Ciampæ parte morantibus, qui vere poenitentes, confessi, et sacra communione refecti, pie ac devote Deum oraverint pro animabus in purgatorio detentis, vel ea die in qua Commemoratio celebratur omnium Fidelium defunctorum, vel in qualibet alia die infra octavam ejusdem Commemorationis, plenariam indulgentiam applicabilem quoque per modum suffragii iisdem animabus, ac semel tantum in prædictis diebus lucrandam, benigne in perpetuum concessit. Illis autem qui vel in ipsa Commemoratione vel in reliquis ejusdem octavæ diebus, corde saltem contriti, pro animabus ipsis aliquas ad Deum preces effuderint, partialem septem annorum ac totidem quadragenarum indulgentiam applicabilem et lucrandam, ut supra, in perpetuum similiter est impertitus. Quam etiam partialem indulgentiam pari modo applicabilem Sanctitas Sua voluit ac declaravit, ut præfati Christifideles consequi valeant ter in quolibet mense cujusvis anni; dummodo corde saltem contriti pro ipsis animabus devote precentur.

« Datum Romæ ex ædibus Sac. Congr. de Prop. Fide, die et anno quibus supra.

« Stephanus Borgia, sac. congregat.

« de Propag. Fide secret. »

(49. An superiores cujusunque ordinis sive instituti, cæterique habentes facultatem communicandi privilegia, etc., possint privilegia et indulgentias ampliare et limitare pro sui arbitrio in aggregationibus: *Sacra cong. Indulgentiar., die 5 Februar. 1748, in*

*respons. ad primum dubium respondit negative. Vide verb. Altare privilegiatum, sub n. 29.*

(50. An indulgentiæ concessæ ecclesiis alicujus ordinis, congregationis, vel instituti, censeri debeant concessæ etiam ecclesiis tam parochialibus quam non parochialibus ab ejusmodi ordine, etc., dependentibus, sive a monachis, aut fratribus, vel religiosis respective administrari solitis: *Sacr. Congr. Indulg., etc., die 30 Julii 1748 respondit negative. Vide decretum præfate congreg. desuper editum verb. Altare privilegiatum, sub n. 29, 2 loco.*

(51. Ejusdem sac. congreg. Indulgentiar. decreta, quorum primo omnibus ecclesiis parochialibus orbis Christiani altare privilegiatum quotidianum conceditur; altero vero missæ omnes quæ in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum ubicunque et a quocunque sacerdote celebrantur, indulgentiis donantur perinde ac si ad altare privilegiatum celebrarentur. Vide dict. verb. *Altare privilegiatum, sub n. 33 et 34.*

(52. Neque omittenda facultas impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria Christifidelibus in locis missionum in mortis articulo constitutis a Clemente XIV concessa.

« Ne Christifidelibus in locis missionum in qualibet orbis parte degentibus et in ultimo vitæ discrimine constitutis, ea spiritualia auxilia desint quæ catholica pia mater Ecclesia filiis suis a sæculo recedentibus solet misericorditer impertiri: SS. D. N. Clemens, divina providentia papa XIV, me infrascripto sacre congregat. de Propaganda Fide referente, in audientia habita die 5 Aprilis 1772, pro eximia charitate qua illos paterne complectitur, omnibus et singulis RR. PP. DD. patriarchis, archiepiscopis, episcopis, vicariis apostolicis, necnon RR. præfectis, seu superioribus missionum, tam cleri sæcularis quam regularis in locis missionum ut supra modo existentibus, seu quocunque tempore exstituris, peramanter concedit facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus prædictis ad extremum agonem redactis, cum ea etiam extensione, ut facultatem hujusmodi sacerdotibus et respective missionariis eorum jurisdictioni subjectis, pro locis tamen suarum diocesium vel pro missionum districtibus tantum communicare possint et valeant: dummodo in hac benedictione impertienda servetur formula præscripta a san. mem. Benedicto XIV, in Constitutione data 9 Aprilis 1747, quæ incipit *Pia Mater*, inferius registranda.

« Quoniam autem facile continget ut aliqui ex prædictis Christifidelibus ex hac vita decedant quin Ecclesiæ sacramentis fuerint muniti et absque Sacerdotis cujuslibet assistentia; ideo Sanctitas Sua, de uberi apostolicæ benignitatis fonte, etiam illis plenariam indulgentiam elargitur, si contriti nomen Jesu, corde saltem, invocaverint et mortem de manu Domini, ea qua decet Christiana



animi demissione et spiritus humilitate susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint. Quæ postrema decreti pars, ut Christifidelibus omnibus innotescat, eam in suis diœcesibus ac missionibus antistites et superiores memorati identidem, et præsertim sanctæ visitationis tempore, publicare curent ac satagant.

« Datum Romæ, ex ædibus sac. congreg. prædictæ, die 5 Aprilis 1772.

« Stephanus Borgia, sac. congreg.  
« de Propaganda Fide secr. »

(53. *Modus a san. mem. Benedicto XIV approbatus et pro opportunitate temporis servandus, ut infra in rubricis notatur, ad impertiendam benedictionem in articulo mortis constitutis, ab iis qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.*

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ et extremæ unctionis, illis infirmis qui vel illam petierint dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis, impertienda iisdem est, etiamsi postea lingua cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam incidierint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea*, ac deinde ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, si commode haberi poterit, dicendo antiphonam: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor.*

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque se paratum offerat ad ultro acceptandum quicquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum quas peccando præmeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore, ut ex divini munificentie largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam. Postea dicat:

ŷ. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

ŕ. *Qui fecit cælum et terram.*

Antiph. *Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (vel ancillæ tuæ), neque vindictam sumas de peccatis ejus.*

*Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, etc.*

ŷ. *Et ne nos inducas in tentationem.*

ŕ. *Sed libera nos a malo.*

ŷ. *Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam).*

ŕ. *Deus meus, sperantem in te.*

ŷ. *Domine, exaudi orationem meam;*

ŕ. *Et clamor meus ad te veniat.*  
ŷ. *Dominus vobiscum;*  
ŕ. *Et cum spiritu tuo.*

## OREMUS.

*Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem (vel ancillam tuam N. quam) tibi vera fides et spes Christiana commendant. Visita eum (eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus sui iudicem propitiatum inveniat, et in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Tum dicto a clerico si præsens sit, vel ab ipso Sacerdote *Confiteor*, idem sacerdos prosequatur:

*Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam. Amen.*

*Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

Deinde.

*Dominus Noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam quam in baptisate recepisti, et ego, facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo: in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

*Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis et futuræ vitæ pœnas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducatur. Amen.*

*Benedicat te omnipotens Deus, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.*

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut omnium præmissarum precum recitandarum tempus non suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

(54. Tandem ad complementum hic juvat adducere sequentem tabulam traditam in Cæremoniali Seraphico impresso Mediolani anno 1744, typis Donati Grisolfi, par. III, cap. 19, ibi.

TAVOLA de' crepuscoli della sera durante i quali (come nota il Calendario Romano) durano le indulgenze concedute insino al tramontar del sole.

1 gennaio. Ora una e un quarto all'orologio della campana.

25 febbraio. Ora una.

1 aprile. Ora una e un quarto.

1 maggio. Ora una e mezzo.

1 giugno. Ora una e tre quarti.

13 luglio. Ora una e mezzo.

26 agosto. Ora una e un quarto.

17 settembre. Ora una.

1 novembre. Ora una e un quarto.

## APPENDIX

## SIVE NOVUS DE INDULGENTIA ARTICULUS.

Si propriis in locis additæ fuissent, juxta monitum censorum, adnotationes, omittere hunc articulum potuissem; sed cum me-absente typis jam consignata fuerint quæ auctor de Indulgentiis disputat, sine debitis animadversionibus quibus notatæ a censoribus propositiones indicarentur, exponerentur, vel confutarentur, et cum nonnullæ quoque desiderentur ad perfectam declarationem ecclesiasticæ circa Indulgentias disciplinæ, novum hunc addere articulum operæ pretium fuit; in quo articulo paucis explicatur: *Quid Indulgentia sit, et quinam in antiqua Ecclesia ejusdem fuerit usus, quæque variandæ disciplinæ causa; ac Ferrarianæ illæ opinioniones quæ minus tutæ vel falsæ visæ sunt refelluntur: et nonnulla decreta recensentur.*

I. Indulgentiæ itaque nomine intelligitur remissio pœnæ temporalis, quæ remissa jam culpa luenda foret, in foro interno coram Deo valida, facta extra sacramentum per applicationem thesauri Ecclesiæ ab eo qui potestate præditus sit. Definitio quatuor complectitur partes indulgentiæ essentialis. Primo enim indicat, remissa culpa, superesse posse ac solere pœnam peccato, ita exigentibus divinæ justitiæ legibus, debitam atque in præsentem vel in futuro sæculo luendam. Secundo remissionem hanc valere etiam coram Deo, ita ut quam Ecclesia modo condecanti condonare velit pœnam, Deus non amplius exigat. Tertio ait per applicationem thesauri Ecclesiæ hanc fieri remissionem. Thesaurus vero Ecclesiæ bona spiritualia sunt, quorum distributio Ecclesiæ concedita est. Bona hæc sunt merita Christi Domini et sanctorum omnium atque fidelium. Sanctorum autem merita in Ecclesiæ thesauro collocantur, non ut quidpiam addatur meritis Christi Domini, quæ infinita sunt, et quidquid meriti est in sanctis, gratia ex illis prodeunte efficiunt; sed ut pateat sanctorum communio in Ecclesia, quæ est corpus mysticum Christi Jesu, et ipse ejusdem Caput, quod perficit membra sua, quibus veluti instrumentis utitur, communicando illis Spiritum et omnem salutarem motum per gratiam suam. In hac definitione non determinatur modus quo thesauri applicatio fieri debeat; quod fit ut ad indulgentiæ substantiam sufficiat aliquo modo fieri hanc applicationem, vel ex parte saltem præcipua thesauri, quæ in Christi meritis sita est; non enim necessario requiritur ut simul fiat ob merita sanctorum, ut post Bellarmin. notavit clariss. Amort, in Hist. Indulg., quamvis laudabiliter ita fiat, ac primis quoque Ecclesiæ temporibus, in indulgentiis, non tantum meritorum Christi, sed etiam sanctorum habita ratio fuerit. Quarto tandem d. signatur applicationem hanc ab eo fieri oportere cui regendæ Ecclesiæ, ligandi,

FERRAR. IV.

et solvendi, atque clavium potestas concessa fuit. Huic enim honorum Ecclesiæ administratio concedita fuit.

II. Disputare theologi solent concurrant ne merita dicta ad indulgentias per modum impetrationis an solutionis; sed levis momenti est hujusmodi quæstio, atque utroque modo concurrere probabilis videtur. De priori modo nulla controversia est; quod vero secundo modo concurrant, facile patet. Nam justis non pro se tantum, sed pro aliis satisfacere valent quantum ad debitum pœnæ temporalis; imo et mereri de congruo possunt peccatoribus pœnitentiæ donum. Hæc autem justis non præstant, nisi in virtutem meritorum Christi, cujus spiritu aguntur tanquam membra viva. Etenim, Augustino teste, lib. contra Parmen., *Hic est unus verusque mediator noster et advocatus, pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus aliquando quidem per membra corporis sui, quæ pro se invicem sollicita sunt.*

III. Orthodoxa fides docet, ut optime auctor ostendit, in Ecclesia potestatem esse concedendi indulgentias, earumque usum salutarem fidelibus esse. Nam Ecclesiæ ligandi et solvendi, remittendi peccata, et clavium potestas concessa est, et quæ ipsa remittit vel solvit in terris, remissa et soluta habentur in cœlis, ut ex dictis constat. Ex iis vero Patres omnes colligunt collatam apostolis eorumque successoribus potestatem injungendi pœnitentibus satisfactorias pœnitentias, et relaxandi: Patrum testimonia obvia sunt. Usus vero indulgentiarum ex perpetua et constanti traditione comprobatus rem ulterius confirmat. Paulus enim II ad Corinth. II, erga incestuosum Corinthium hac usus est indulgentia, *ne, inquit, abundantiori tristitia absorberetur.* Quæ verba Chrysost. hom. 11, in II ad Corinth. ita exponit: *Ex ea re docemur quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque pœnitentium oportet moderari disciplinam.* Indulgentias præterea secundo Ecclesiæ sæculo probavit Tertull. antequam ad montanistas transisset, in lib. quem scripsit ad Martyres, cap. 1. S. Cyprianus pluries scribit ad martyrum preces Ecclesiam in more habuisse remittere pœnas pœnitentibus. Usus præterea indulgentiarum in antiqua Ecclesia constat etiam ex relaxatione pœnitentiæ quæ fiebat ab episcopis in Cena Domini iis qui per sacramentalem absolutionem initio Quadragesimæ a presbyteris absoluti fuissent, ut pluribus ostendit Amort op. cit. dissert. prælim., § 11.

IV. Ex antiquo Ecclesiæ usu constat hanc relaxationem pœnæ canonicæ validam fuisse etiam coram Deo. Primo, quia episcopi in relaxatione pœnæ canonicæ utuntur deprecatoria formula simili illi qua absolutionem sacramentalem concedebant, et in utraque absolutionem petebant a peccatis in remedium animæ, ut videre est in antiquo Ordine Romano. Secundo, quia tempore sancti Cypriani fideles putabant se liberari a Numinis vindicta et ira Dei, si mar-

19